



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De felicitate animæ, à terreno carcere resolutæ, 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

bus constrictus teneor, ut relinquens omnia ista, tibi serviam, tibi soli inhæream, tibi soli intendam.

## CAPVT VI.

*De fœlicitate animæ à terreno carcere resolutæ.*

1. **F**œlix anima, quæ terreno resoluta carcere, libera, cælum petit; quæ te dulcissimum Dominum facie ad faciem cernit; quæ nullo metu mortis afficitur, sed de incorruptione perpetuæ gloriæ latatur. Tranquilla est & secura; jam non timet hostem, nec mortem. Habet te pium Dominum, quem diu quæsiuit, semperque amavit: hymnidicis sociata choris, melliflua perpetuæ festivitatis carmina, ad laudem gloriæ tuæ, rex Christe, bone Iesu, in æternum concinit. Inebriata enim ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potas eam. Fœlix societas supernorum civium, & gloriosa solemnitas omnium ad te redeuntium ab huius nostræ peregrinationis tristi labore, ad amœnitatem pulchritudinis, ad formositatem totius splendoris, atque dignitatem totius elegantia: ibi te jugiter, Domine, tui cives cernunt. Nihil omnino, quod conturbet mentem, ibidem auribus datur.

2. Quæ cantica? Quæ organa? Quæ cantilena? Quæ melodiæ ibi sine fine decantantur? Sonant ibi semper melliflua hymnorum organa, suavissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira; quæ ad laudem & gloriam tuam, à supernis civibus decan-

decantantur. Amaritudo, & omnis fellis asperitas, in regione tua locum non habent. Non enim est ibi malus, neque malitia. Non est adversarius & impugnans, nec est ulla peccati illecebra. Nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum improperium, causatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla poena, nulla dubietas, nulla violentia, nulla discordia: sed est ibi pax summa, charitas plena, jubilatio & laus Dei aeterna, sine fine secunda requies, & gaudium semper in Spiritu sancto.

3. O quam fortunatus ero, si audivero jucundissimas civium tuorum cantilenas, carmina melliflua, laudes summæ Trinitati debito honore promentia! Sed & nimium foelix, si ego ipse meruero cantare canticum Domino Iesu Christo, de dulcibus canticis Sion.

## C A P V T VII.

### *De gaudio Paradisi.*

I. **O** Vita vitalis, vita sempiterna, & sempiterna beata! Vbi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate: ubi omnia bona in charitate perfecta; ubi species & visio facie ad faciem; ubi plena scientia in omnibus & per omnia; ubi summa Dei bonitas cernitur, & lumen illuminans à Sanctis glorificatur; ubi præsens majestas Dei con-